

Ye
3509



12
31



Programma
FACULTATIS
PHILOSOPHICÆ
IN ACADEMIA VVI-
TEBERGENSI.

AD
Bonarum Artium, Lin-
guarum, & pietatis Studiosos,

DE
HONORIBVS MA-
GISTERII, CANDIDATIS
Philosophiæ in solennitate Academia
Iubilæa, ad XIX. Octob. D.
conferendis,
Anno Christi M. D. CII.

VVITEBERGAE
Excusum, Typis Cratonianis.



12



FACULTAS PHILO-
SOPHICA IN ACADEMIA
VVITEBERGENSI

STUDIOSIS PHILOSOPHIAE S. P. D.

Nam augustum illud
tempus, pijsq; votis à nobis omni-
bus excipiendum, appetit, quo A-
CADEMIA VVITEBERGENSIS, pri-
mo ætatis seculo ad metam felici-
ter decurso, alterum ingrediatur.
Quod ut Academiae felix, toti-
reipub. salutare evadat, Deum to-
to pectore rogamus. Iam quanta huius seculi felicitas
exlitterit, gratis erga Deum mentibus considerare nos
debet. Nam si unquam paterna Dei bonitas erga Eccle-
siam Christianam, ab eo tempore, quo Evangelium
Christi per universas Mundi plagas divulgatum est, se-
exseruit, in elapso id seculo abundè demonstravit. Be-
neficiorum igitur Dei in orbem Christianum effusorū,
prolixus hîc Catalogus texi posset: Inter quæ hæc
maximè elucent, quod imperium Germanicum, à tot
& tam potentibus undiq; hostibus impetum, Deus
immensa bonitate, protexit, defendit, conservavit.
Quòd tot insulis ac terris in novo Orbe, quam Ameri-
cam indigetant, inventis & detectis, ingens per com-
mercia, & cætera minimè contemnenda, Reipub. Chri-
stianæ

Atianæ utilitas provenit. Quod omnes propè Artes,
quibus humani generis societas tantopere adjuvatur,
ad summum perfectionis fastigium adscenderunt.

Hæc & id genus cætera, digna quidem essent, ut
narratione diffusa magnificè persequeremur: Verum
id neq; temporis huius est, neq; instituti. De uno tamè
hoc commonefacienda est juvenus, in quo salus ge-
neris humani, & immortalis *ACADEMIAE VVITEBER-*
GENSIS gloria, consistit. Vera Dei Religio, in Prophe-
tarum & Apostolorum scriptis à Spiritu S. patefacta,
per huius seculi felicitatem revixit, cum per multas ho-
minum ætates idololatricis Antichristi Romani super-
stitionib. penè emortua & sepulta jacuisset. Resuscita-
ta est lux Evangelij clarissima, quod eo usq;, velut igni-
culus sub cinere demersus, latuerat. Et cum eo simul re-
natæ sunt omnes bonarum artium disciplina: Lingua-
rumq; eruditarum, quibus divina & humana Sapiencia
involuta est, studia & exercitationes per Germaniam
refloruerunt, ad eamq; nunc maturitatem provecta
sunt, ut quod amplius, tum ad utilitatis in rempub. hinc
redundantis, tum ad voluptatis, liberalibus animis ex-
petendæ, fructum requiratur, nihil omninò sit reli-
quum. Vtrumq; verò Dei beneficium, quo & Verbo
cœlesti antiqua & nativa puritas, & literis pristinae inte-
gritatis decus redijt, *ACADEMIAE VVITEBERGENSI* secun-
dum Deum meritò acceptum est ferendum. In hac e-
nim Deus Opt. Max. duo Germaniæ, imò totius Euro-

pæ, lumina excitavit, MARTINUM LUTHERUM, &
PHILIPPUM MELANCHTHONEM: qui fidei sua o-
peraid effecerunt, ut VVITEBERGENSIS ACADEMIA reli-
quas omnes per totum orbem Scholas felicitate & lau-
de antecellat. Alter enim salutare Dei Verbum, Legem
& Evangelion, per omnia doctrinæ τῆς θεοῦ capita,
à Pontificis Romani inquinamentis repurgavit, ve-
rumq; Dei cultum in Ecclesia, nimis diu Baalis Roma-
ni præstigijs vexata, restituit. Ideoq; tertius Elias re-
ctissimè ab Orthodoxis appellatur. Alter (præter egre-
giam, quam Theologiæ repurgandæ operam cum D.
Luthero, ut fidelis συνεργός, navavit) Barbariem à singu-
lis Philosophiæ scientijs profligavit, veramq; Lingua-
rum & artium humanitatis culturam in Germania no-
stra instauravit. Quocirca si quis eum Germaniæ
Μεσσηγιέτην nominet, debitum veritati testimonium hunc
perhibere, quis nisi cæcus amensq; aut ipsa invidiâ ma-
lignior, negarit?

Hoc geminum Dei beneficium, per duo hæc exi-
mia Dei organa, sub decrepitam Mundi senectam, Ger-
maniæ exhibitum, tanti ponderis est ac momenti, ut
nullus ubiq; thesaurus, vel Salomonis aut Cræsi divi-
tias amplitudine excedat, cum eo cõferri, nedum æqui-
parari, mereatur. Quid enim verâ Dei cognitione, quæ
per Lutherum nobis redijt, & æternam beatitudinem
coniunctam habet, preciosius, magisq; expetendum?
Quid germano Sapientiæ eruditæ, Artiumq; humani-
tatis

tatis cultu, præstabilius, & ad vitam probè beateq; agen-
 dam accommodatius? Vertamus retrò oculos, & con-
 feramus cum hoc seculo ætates superiores, Constā-
 tīni M. ætatem subsecutas: nullius profectò tantam ex-
 stitisse felicitatem deprehendimus, quantā nostrum
 hoc seculum Deus exornavit. Iam si locum æstimemus:
 Quis in tota Europa beator est? quis illustrior, VV-
 TEBERGA? Hanc prærogativam per singularem æter-
 næ Providentiæ benignitatem conciliavit FRIDERI-
 CVS III. Saxonix Elector, verè SAPIENS, dum ACA-
 DEMIAM in hac Vrbe, suâ munificentia constitutam,
 veræ pietatis & doctrinarum *Πνευματικόν* & Officinam
 esse voluit. Id quod summæ illius felicitatis quasi fons
 est atq; origo. Quòd verò hætenus non conservata
 tantum est, sed etiam ad amplissima incrementa pro-
 gressus fecit ACADEMIA, & præ cæteris effulget, id
 successoribus FRIDERICI III. Saxonix Princi-
 pibus Septemviris, post Deum unicè debemus.
 Pro tantis ergo beneficiis, solennia Gratiarum sa-
 cranos, Academiae hujus membra, divinæ bonitati face-
 re, par est. Tota sanè Germania, suavissima fructuum
 hinc ad se exuberantium recordatione, exultare gau-
 dio nobiscum debet. Et haud dubiè omnes in ea rectè
 sentientes pietati hoc suæ convenire, jam dudum sibi
 persuasum atq; certum habent.
 Hæc verò tanta Dei merita, ut justius expendi ab
 universis & singulis queant, inclyta hæc ACADEMIA,
sig
A 3
decur-

decurrente, ad annum centesimum, natali suo auspica-
tissimo, FESTVM IUBILAEVM agere constituit: idq;
non solum approbante & volente, sed etiã postulante
& adjuvante, Illustriss. Principe ac Domino, Domino
CHRISTIANO II. DVCE SAXONIAE, S. Ro-
mani Imperii Archimarschallo & ELECTORE, Land-
gravio Thuringiæ, Marchione Misniæ, Burggravio
Magdeburg. &c. Domino nostro clementissimo. Ut
enim paterno ACADEMIAM nostram favore comple-
cti semel ab initio cepit, nihilq;, quod ad amplifican-
dam exornandamq; illam conducere videatur, præter-
mittit: ita in hanc etiam curam animi celsiss. cogita-
tionem demittit intenditq;, ut solennes Iubilæi ferias
augustiores & celebriores reddat.

Cum itaq; in prima Academiæ hujus introductio-
ne, inter cæteras festivitatis Pompas, Magistrorum et-
iam Promotionem à Sapientissimo Fundatore olim
adhibitam, convivioq; liberalissimo donatam, sciat:
munificentiæ suæ ELECTOR Serenissimus id esse depu-
tat, ut in secunda hac Academiæ consecratione, Præde-
cessorem in hac parte suum imitetur, & Iubilæi incuntis
festum Magistrali Promotione exornandum, convi-
vioq; sumtibus Clementiæ suæ exhilarandum, curare
non dedignetur. Quo eximio liberalitatis argumen-
to, quàm mirifica Celsitudinis ipsius erga Academi-
am, & Collegium Philosophicum, ipsaq; Philosophicæ
disciplinæ studia, & horum cultores, sit propensio, egre-
giè

giè testatum facit. Celebravit olim Roma Augustum
& Claudium, cæterosq; Imperatores, qui ludos secula-
res tantis impendiis magnificentissimè peregerunt.
Quis verò illorum, Scholis (quibus aliàs nihil despe-
ctius) tantum honoris tribuit? tantum beneficentiæ
impendit? Ut ergo Nutritoris clementissimi beneficiū
gratis animis veneremur, & pijs votis prosequamur,
tūm munificentissima ejus liberalitas, tūm sincera, quæ
in nobis esse debet, pietas monet, obstringit, exigit.


Iam quod restat, Tibi studiosissima juvenus, pro
officio nostro significamus, instantem renunciationis
Magistrorum Philosophiæ *πεθεσμίαν*, propter maiorem
Iubilæi huius anni celebritatem, in XIX. Octobris di-
em, de ILL. Septemviri nostri benignissima volun-
tate, prorogatum iri. Atq; id primum est. Alterum
quod à nobis denunciatur, hoc est. Siqui, in Artibus
Philosophicis & Linguis, doctrinaq; pietatis progres-
suum sibi conscij, in promotionis huius partem venire,
& tanto insignius inde testimonium reportare velint,
ut sua apud Spectabilem Collegij Philosophici DECA-
NVM, nomina maturè profiteantur, & delectorum ex
Facultate censorum Examini, secundum Leges, se mo-
destè & reverenter submittant, & quæ Fisco Examina-
toribusq;, pauca sanè, debentur, exsolvant. Ac pro ju-
dicii Facultatis æquitate, *βραβείον* tandem expectent.

Tibi æterne pater gratias immortales agimus, quòd
per sincerū Filij, Domini nostri Iesu Christi verbum, &
Sacra-

3

Sacramenta Ecclesiam ex genere humano adhuc tibi colligis, & per Spiritū S. idoneos ad hoc opus ministros in messem tuam extrudis, Scholasq; ubi in eruditissimili disciplinis præparentur & excolantur, per Sapientes ac beneficos Magistratus: inter quos primo loco Illustriss. SAXONIAE ELECTOREM meritò prædicamus: nutris, provehis, conservas. Da benignissime Pater, ut in hac Academia, sinceræ Theologiæ, sanæq; Philosophiæ studia perpetuò de hinc floreant: & ex hac Metropoli, ut hætenus, ita etiam posthac, Ecclesiæ & Scholæ bene constitutæ, in omnes Europæ regiones, tanquam coloniarum, propagentur: ad insignem nominis tui gloriam plurimorumq; hominum salutem. Amen. P. P. & Facultatis Philos. Sigillo subsignatum, VVitebergæ: Die Nativitatis Mariæ, Anno Christi M. D. CII.





[Illegible handwritten text on a small paper label]





Program
FACVL
PHILOS
 IN ACADEM
 TEBERG
 Bonarum Ar
 guarum, & pietat
 DE
HONORII
 GISTERII, CA
 Philosophiæ in solen
 Iubilæa, ad XIX
 confere
 Anno Christi M
 VVITEB
 Excusum, Typis

12

